



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. I. An exterior fidei confessio sit actus elicited à fide, vel duntaxat
imperatus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

intellectum. Duas autem solum circa hunc actum tractat D. Thomas quaestiones, quas articulis sequentibus resolvemus.

ARTICULUS PRIMUS.

An exterior fidei confessio sit actus elicitus à fide, vel duntaxat imperatus?

Valentia hic quaest. 3. puncto 1. negat exterioriorem fidei confessionem esse actum ab ea elicitum: dicit tamen censeri actum illius virtutis, quia habet laudem ex objecto formali illius, & in illud tanquam in finem ordinatur. Huic sententiae faver Suarez lib. 2. de religione cap. 3. B ubi docet nullum dari actum virtutis, ab ea elicitum, extra subiectum in quo est.

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

96 **D**ico tamen: Exterior fidei confessio à virtute fidei elicitur, & non solum imperatur.

Probatur primò ex D. Thomae Art. 1. in corp ubi sic habet: *sicut conceptus interior eorum quae sunt fidei, est proprius fidei actus, ita & exterior confessio*: Sed hoc esset falsum, si actus externus fidei esset tantum ab illa imperatus, & non procederet efficienter ab habitu fidei, sicut actus interior: Ergo &c. Clarius adhuc in resp. ad 3. loquitur S. Doctor pro nostra conclusione, ait enim: *Fides interior mediante dilectione causat omnes exteriores actus virtutum, mediantibus aliis virtutibus, imperando, non eliciendo; sed confessionem producit tanquam proprium actum, nulla alia virtute mediantem*. Ex quibus sic argumentor: Si externa fidei confessio non eliceretur ab ea, sed tantum imperaretur, illam non produceret fides, nisi mediante alia virtute, à qua tantum elicitivè procederet, ut constat: Sed ex D. Thoma in verbis citatis, externam fidei confessionem producit fides ipsa, nulla alia virtute mediantem: Ergo illam elicit, & non solum imperat.

97 Probatur secundò ratione, quam S. Doctor ibidem insinuat: Actus imperatus ab aliqua virtute, nunquam habet per se ordinari ad objectum & finem talis virtutis, sed per accidens tantum, & ex intentione alterius, ut patet in actu iustitiae, aut fortitudinis, à charitate imperato: Sed confessio exterior fidei per se & ex natura sua ordinatur ad finem & objectum fidei; nam exterior locutio per se ordinatur ad idem objectum, & eundem fidem, ad quem ordinatur interior locutio vel conceptus: Exterior enim locutio (inquit S. Doctor) ordinatur ad significandum id quod in corde concipitur: Ergo exterior fidei confessio est actus ab ea elicitus, & non solum imperatus.

98 Confirmatur: Exterior fidei confessio est ex inclinatione talis virtutis, quae primario inclinat ad assentiendum credibilibus, & secundario ad exterius profitendum & significandum talem assensum: At nullus actus ab aliqua virtute imperatus habet esse ex inclinatione ipsius, sed tantum ex inclinatione à qua elicitur: Ergo &c.

99 Probatur tertio conclusio, & simul praecipuum Adversariorum fundamentum convellitur: Si quid obstarat ne exterior fidei confessio eliceretur à fide, esset quia est actus alterius potentiae ab

ea in qua residet fides; haec enim in intellectu residet, illa verò ab ore & lingua procedit, juxta illud Apostoli ad Roman. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*: Sed hoc non obstat: Ergo praecipuum Adversariorum fundamentum corrumpitur. Major patet: Minor probatur primò ex D. Thoma in 4. dist. 15. quaest. 4. art. 1. quaest. 2. in fine corporis, ubi dicit expresse, quod oratio est actus latræ elicitivè, non obstante quod latræ sit virtus existens in voluntate, non verò in ratione, cujus actus est oratio. Et dist. 17. qu. 3. art. 2. quaest. 3. docet quod confessio peccatorum pertinet elicitivè ad poenitentiam, & confessio beneficiorum Dei ad latræ, & tamen constat has confessiones fieri ore seu lingua, quae est alia potentia ab ea, in qua residet poenitentia & religio: Ergo similiter, licet fides sit virtus existens in intellectu, non verò in potentia exteriori, cujus actus est exterior fidei protestatio, elicitivè tamen iste actus erit à fide.

Confirmatur ex Cajetano infra quaest. 81. art. 4. ubi sic dicitur: *Virtuti attribuitur ut proprius actus, non solum si ejusdem sint potentiae, in qua est habitus virtutis, sed etiam aliarum potentiarum, dummodo non per aliam virtutem eos eliciant, ut patet in actibus iustitiae, temperantiae, & oppositorum virtutum: iustitiae siquidem proprius actus est, non solum velle reddere cuique suum, sed exteriori actu reddere quod suum est, & similiter iniustitiae actus est auferre alienum: temperantiae quoque actus est, non solum concupiscere moderate cibum, sed etiam exterior sumptio moderata: & similiter intemperantiae est exterior luxuria. Ergo similiter non solum actus fidei interior, sed etiam exterior confessio erit elicitivè à fide, quamvis actus ille exterior sit ab alia potentia ab intellectu, in quo residet fides, quia ille non sit per aliam distinctam à fide.*

Secundò probatur eadem Minor ratione: Quamvis habitus fidei sit in intellectu, ut tamen actus externae confessionis ipsius ab ea elicitivè procedat, sufficit quod ab habitu fidei diffundatur in potentiam externam aliquis modus, sive aliquod sui participium, quo mediante potentia externa illum actum producat; facta enim illa suppositione, potentia externa non solum elicit suum actum, sed etiam virtus fidei, non quidem per se immediatè, sed mediante virtute sua, impressa potentiae exteriori: sicut non sola aqua maris elicit suum motum fluxus & refluxus, sed etiam talis motus elicitivè procedit à cælo, mediante virtute quam communicat aquae ad talem motum: Atqui potest fides diffundere in potentiam externam hominis, eam habentis, aliquod sui participium; in hoc enim nulla est implicatio, ut constabit ex solutionibus objectionum: Ergo &c.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò: Negare exterius fidem, non est actus elicitus ab infidelitate: Ergo nec illam confiteri exterius, erit actus à fide elicitus. Consequentia patet ex paritate rationis. Antecedens probatur: D. Petrus & Marcellinus negarunt exterius fidem: Sed talis negatio non fuit actus elicitus ab infidelitate; alias enim fuissent infideles, quod tamen communiter negant Theologi: Ergo exterius negare fidem, non est actus elicitus ab infidelitate.

Confir-

Instabis tamen: Fides non potest producere 107
extra intellectum modum participationis suae
virtutis: Ergo nulla solutio. Consequentia pa-
ter: Antecedens verò probatur. Si fides aliquem
modum suae virtutis diffunderet extra intel-
lectum, id esset mediante duntaxat actu intel-
lectus, utpote qui est essentialiter immanens, ac
proinde non egrediens extra intellectum: Ergo
&c.

Respondeo negando Antecedens. Ad cuius
 probationem dico, quod licet actus intellectus
 sit ex sua essentia formaliter immanens, simul
 tamen est virtualiter transiens, ut patet in actu
 imperii, quo Angelus cælos movet, & alia cor-
 pora transmutat, ille enim est formaliter imma-
 nens, & virtualiter transiens, & sic hoc veretur in
 dubium, irrationabilis dubitatio videtur, inquit S.
 Thomas opusc. 11. art. 3.

Urgebis adhuc: Quando virtus vel potentia superior imperat inferiori ipsius actum, aliquid ei imponit, quo actus elicit suam operationem ordinatam ad finem operantis: Ergo ex eo quod potentia externa hominis non elicit confessionem fidei, nisi ut actus modo aliquo perfectionis, à fide in eam derivato, ad summum concluditur, quod confessio illa scilicet imperativè ab habitu fidei, non verò elicitur.

Respondendo distinguendo Antecedens: Quando virtus fidei potentia superior imperat inferiori-
rius ipsa actum, aliquid ei imprimi quo elicit
suam operationem, ordinatam ad finem virtutis
imperantis, tanquam ad obiectum sibi accidentale
& extrinsecum, concedo Antecedens. Quo
elicit suam operationem ordinatam ad finem
virtutis imperantis, tanquam ad obiectum sibi
intrinsecum & essentiale, nego Antecedens, &
Consequentiam: potentia enim externa, a ctuata
modo illo, qui est participium virtutis fidei, in
eam derivatum, elicit confessionem fidei externam,
ordinatam ad obiectum formale fidei, tanquam
ad aliquid sibi intrinsecum & essentiale, ut
patet ex dictis in secunda probatione.

*An detur præceptum confitendi fidem, & quan-
donam fideles peccent contra illud?*

Dico secundò, præceptum affirmativum de
Rr fide